Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 623
Quelle:
Copyright:

Vestra ego, sancte Pater, suscepi iussa libenter,
Et, quantum potui, per singula queque cucurri.

Ut non inconcinni sunt, ita huc non nisi Librarii arbitrio collocati. Initium Libri: *Pauci admodum dies sunt, quod sancti* &c. ut in edit. *Vallarsii* T. II. *col.* 237. cujus textum comparans Codicem in quibusdam a secunda manu rite jam emendatum deprehendi, in quibusdam vero differre. Ita in principiis legit *ejus ineptiis* pro *eorum; apostolico rigore* pro *vigore; uitiis spurcissimis* pro *spurcissimus; Obsecro ager* pro *agrum; arte illudere* pro *eludere* &c. Liber II. pariter *Capitulationes* praefert.

II. *fol.* 51. p. 2. *Incipit prologus in apollogeticum Iheronimi ad Pammachium.* Ita: *Christiani interdum pudoris est* &c. Dein: *Incipit apollogeticum ad pammachium.* Nempe: *Quod ad te hucusque non scripsi, causa fuit silentium tuum.* &c. Non vane Codex noster haec duo hic subjungit, utpote quae in caussa praecedentis Operis versantur. Maluit ea T. I. inter *Epistolas* referre *Vallarsius*, et quidem inverso ordine, *Librum Apologeticum col.* 209. *Prologum col.* 232. cujus rei rationem non video. Textus noster parum abit ab Editis. Pro eo, quod habent *Apologet. n.* 2. *Virgo a Viro, non Vir a Virgine generatur;* Noster legit: *Virgo a Viro. non Virgo.* Ego neutrum me bene adsequi fateor, aut scire, in quo sit, quod *Hieronymus* ait, *vocis piaculum.* Ad calcem: *Explicit appollogeticum ad pamachium in domino;* et sequentes Librarii Versus:

Hęc huius libri demonstrat pagina finem,
Quem prorsus scripsi febricitante manu.
Debilitans totum gelida pro peste cadauer
Huius iam vitę spes mihi nulla fuit.
Nec uis ulla mihi, geminis sed adempta diebus.
Flebilitas nostrum heu renuebat opus.
Vna dies inter miseros lętissima soles
Scribendi nostro spem dedit officio.
Sed mox auxiliante deo cum languidus algor
Desiit in tenui carne manere mea,
Ad priscam redii mentem uiresque priores
Desertum cupiens arte nouare librum.
Inserui neglecta ex parte, superflua dempsi
Ingenio, ut paruus miles habere solet.
Sume libens uuas propria de uite nouellas — —.

Imperfectum vides Elegidion, cujus insuper Versus emendari aliquantum possunt ad Exemplum Codice praecedente relatum.

III.